



VLYSSIS ALDROVANDI PATRITII BONONIENSIS MONSTRORVM HISTORIA.



ORDINIS RATIO.



G VICTORVM inuulgatis animantium moribus, & naturis, physica miracula nomine Monstrorum vulgò nuncupata, in usum publicum modò producenda succedunt; quæ aliquando contingere, explorata fatetur veritas, & potissimum quando, non iuxta consuetam naturæ normam, peregrina quædam, vel toti generatorum corpori, vel eiusdem partibus (siuè de homine, siuè de brutis, siuè de plantis verba fiant) figura, vel character imprimitur. Non enim hæc authorum sunt deliria, vel somnia, qui fucata persuasione, arbitrio suo, monstra delirare velint: quandoquidem de his quotidiana nos certiores facit autopsia. Idcirco pro comperto affirmandum est, quòd humana curiositas vastissimam generatorum solitudinem peruagans, interdum in aliquid naturales excedens leges, & nouitatem pariens incidat: vnde tunc inquieto sciendi appetitu exagitata, ob illud ignotum, graui admiratione necessariò detinetur. Nos igitur in præsentia ad hanc oblitterandam admirationem, ad exterminandam sciendi appetitionem, & deniq; ad recreandam nouitatum famem, abdita naturæ atria innumeris decorata iconibus pandere decreuimus. Sed cum rectum sui, & obliqui index, & examen esse perhibeatur, operæ pretium esse videtur, si prima fronte perfectam

H Hominis constitutionem paucis complectamur verbis; non solum vt deinceps errata naturæ euidetiora legentibus innotescant; verum etiam ne humanis prærogatiuis hæ nostræ Historiæ careant. Deus enim in ipso corporis humani creationis initio, immortalis vitæ spiraculum, nempè animam insufflauit, qua tanquam rationali Duce regeretur, superna meditaretur, & sensibus dominaretur. Deniquè in rebus etiam inanimis, admiranda aliquando eueniunt, suarum naturam causarum non referentia, veluti varia aquilarum, seu aliorum animantium, vel equitum simulacra in aere apparentia monstra cœlestia à nonnullis appellata; quorum etiam mentionem perpulchris exornatam imaginibus, hisce historiarum monumentis mandare statutum est.

*Monstra at-
tinent ad a-
nimalia, &
plantas.*

*Sciendi ap-
petitus mi-
rabilis.*

*Monstra in-
animatorum.*

*Monstra cœ-
lestia quæ.*